

Oo Bo A 231
6

Hist:
III C. 1

DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA
SECUNDA
DE
BULLARUM
INDULGENTIARUM
PONTIFICIARUM
ANTIQUITATE FUCATA,

QUAM
DIVINA INDULGENTE GRATIA,
VENERANDÆ FACULTATIS
THEOLOGICÆ CONSENSU,
IN REGIA PRUSSORUM ACADEMIA
PUBLICÆ VENTILANDAM PROPONUNT
PRÆSES

JOHANNES BEHM,
S. THEOL. DOCT. ET PROFES. EXTRAORD.
GRÆC. LING. ORDIN.
ET RESPONDENS

JOHANNES GODOFREDUS DORN
SCHIPPENB. BOR. PHIL. ET THEOL. STUD.
IN AUDITORIO MAXIMO
A. MDCCXXIII. DIE IX JULII.

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.



PATRIÆ,
PATRONIS
ET
AMICIS.

§. XIV.



Rdo jam postulat, ut quantum subsequentibus temporibus in hac Indulgentiarum materia à pristinis moribus ieceſſum fuerit, ita ut Indulgentiae aliam profus à priori diversam induerint formam, indigitemus. Quod Cardinalis JOH. BONA L. II. Rer. Liturg. c. 18. §. 1. de aliis vocibus inquit: *Multa quidem vocabula nobis & pristis Patribus communia retinemuſ, sed ſenſu ab eo, quem tunc habebant, non minus alieno, quam noſtra tempora à primis poſt Christum Seculis remota fuit; idem optimo jure & de Indulgentiis aſſeritur. Ipharei immutatio alium item ſignificatum peperit. Ut autem rerum declinationes ac immutationes non momento, ſed ſucceſſive obtinere ſolent; ita & poenarum canoniarum mitigationes, relaxationes ſeu indulgentiae ad eam, quam jam gerunt faciem cum tempore pervenere. Primum ad quod hic reſpiciendum erunt variae iſiꝝ poenarum poenitentialium poenitentibus impositarum commutationes ac redēmptiones. Quantumvis enim & laxato jam aliquantis per disciplina Ecclesiastica rigore, nihil ominus ſatiſfactiones pro publicis cœterisque enormibus delictis poenitentibus juxta canones imponerentur; novæ etiam pristinis inaudita introducerentur, vel poenitentiū vefteſ ac ieceſſum respicientes, v. g. diſcalceati ac nudis pedibus, lineis ſive laneis veftibus ſine femoralibus in medium procederent, nullo veſiculo, nec curru, nec equo uterentur: vel certos jejuniorum dies praescribentes: vel novas operas poenales injungentes, de quibus vid. JO. MORINUS Comment. de Disciplina Poenitent. L. VII. c. 12. 14. 15. p. 468. seqv. Poenitentibus tamen congeſſum erat ſatiſfactiones illas commutatione quadam redimere. Fiebat autem illa commutatio ac redēmptio initio per nonnulla alia opera leviora poenitentibus impletu multo faciliora, qualia certorum Pſalmorum decantationes in aut extra Eccleſiam, genuflexiones, palmatæ ſeu palmarum percussionses vel ferula factæ, quoſ BARONIO Tom. XI Annal. ad A. 1055. n. 11. videtur, vel ē vehementi illa palma ad pavimentum in labore poenitentiali alliſione orta juxta DAMIAN. in Epift. ad Petrum Monachum Lib. VI. epift. 27. pauperum cibationes, Miffæ, ſpon-*

F

tancæ

taneæ flagellationes , peregrinationes ad loca Sancta, templorum item visitationes . Fidem facit quod priora BURCHARDUS Episcopus Wormaciensis Decret . Lib . XIX . varia ejusmodi redemptionum exempla è pœnitentiali Romano , Theodori , Bedæ adducens . Sic jejunium unius diei in pane & aqua , L . Psalmis in Ecclesia , si fieri possit , flexis genibus decantatis , aut in prioris defectu Psalmis illis alio in loco convenienti fusis , paſcendo item unum pauperem , redimi ait c . 12 . quodsi autem pœnitentiam diuturnam illam genucubationem fuisse non valeat , infra Ecclesiam , aut alio in loco stando LXX . Psalmos intente per ordinem decantare & pauperem paſcere debere c . 13 . Qui Psalmos non novit , dives quodsi fuerit , diem istum tribus denariis , si pauper , uno denario redimat c . 15 . aut tres pauperes paſcat c . 16 . vel XX . palmatas patiatur c . 17 . Similiter & hebdomadam unam decantatione CCC . Psalmorum in Ecclesia flexis genibus , aut si id fieri non possit , trium Psalteriorum in Ecclesia vel alio loco convenienti decantatione intenta redimi c . 18 . Pro uno mense Psalmos mille ducentos genibus flexis decantet , puta in Ecclesia , aut extra eam in uno i . e . alio convenienti loco MDCLXXX . Psalmos c . 19 . Annus unus ab iis , qui jejunare nesciunt , nec Psalmos norunt clargitione XXII . solidorum in elemosynam ac omnium sextarum fe- riarum jejunio in pane & aqua redimitur . Cœterum quicquid tribus quadragesimis , puta quadraginta diebus ante Paſcha , Johannis Bap- tista festivitate ac Natale Domini , ori præparatur in cibo vel in potu , vel cuiuscunque generis fuerit , id omne æstimetur quanti pretii sit aut esse possit & dimidium istius pretii in elemosynam pauperum distributatur c . 20 . Alium redemptionis modum præscriptum habes c . 25 . XII . triduanæ singulæ cum Psalteriis III impletis & cum pal- matis CCC , per singula Psalteria excusant unius anni pœnitentiam . Et XXIV . biduanæ similiter cum tribus Psalteriis impletis & CCC . palmatis , per singula Psalteria excusant duos annos . LXXV . Psalmi cum totidem veniis per noctem & cum palmatis CCC . excusant bi- duanam . C . Psalmi cum veniis per noctem & cum palmatis CCC . excusant triduanam . CXX . missæ speciales , singulæ cum tribus Psal- teriis & CCC . palmatis excusant annum : centum solidi dati in ele- mosynam annum excusant . Haec tenus redemptions pœnitentiali Romano definitæ . Seqvuntur quas idem BURCHARD . ex altero , Theo-

Theodori penitentiali adducit, ubi pro uno die jejunii Missam unam c. 21. pro septem hebdomadibus XX. solidos, aut si paenitens non habuerit, unde tantum dare possit, X solidos & quodsi multum pauper fuerit, tres solidos c. 22. prescribi, jejunium autem trium annorum ita redimi videas: ut primo anno eroget in eleemosynam solidos XXVI. in secundo XX. tertio XVIII. sive in universum LXIV. c. 23. Tandem & Bedæ penitentiale c. 24. adductum audire placet: *Qui jejunare non potest & non habet unde redimat & Psalms novies, pro uno die, quem in pane & aqua jejunare debet tribus vicibus: Beati immaculati, usque ad dominum cum tribularer, decantet. Et sexiesse Miserere mei Deus. Et septuages prostrnat se in terram & per singulas genuflexiones, Pater noster decantet. Qui autem Psalms necit, pro uno die quem in pane & aqua jejunare debet, centies prostrnat se in terram & per singulas genuflexiones, Pater noster dicar.* Similia habet REGINO PRUMIENS. Burchardo antiquior de Disciplina Eccles. veter. German. L II. c. 439--447. Nec pratermittendam hic esse judico redemptionem in altero quodam Penitentiali, quod in Collectione Anglicana ad ann. 967. adducitur, precriptam, eo quod crebra redemptionis per Missam faciat mentionem. Ita autem titulo de satisfactione n. 18. 19. dispositum legimus: *Quisque poterit unius diei jejunium unico denario redimere. Potest etiam unusquisque unius diei jejunium 220 Psalmis redimere. Potest etiam quisque duodecim mensium jejunium triginta solidis redimere; vel unum aliquem liberando tanti estimatum & pro unius diei jejuno decantet vir ille senis vicibus, Beati: & senis etiam vicibus, Pater noster. Et pro unius diei jejuniogenuslectat homo ille & ad terram se inclinet sexaginta vicibus dicens, Pater noster. Posset etiam quis unius diei jejunium absolvere, si in oratione semetipsum per omnia membra sua Deo extendat vera contritione & fide recta & quindecim vicibus cantet, Miserere mei Deus & 15 etiam vicibus, Pater noster. Jam tum conceditur ei totius diei peccatorum allevatio. Septemne jejunium potest quis in anno uno absolvere, si quotidie cantaverit Psalterii Psalmos, itemque nocte & quinquaginta vespere. Unica etiam Missa, potest quis absolvere 12. dierum jejunium: Et cum decem Missis eximitur quatuor mensium jejunium: & cum 30. Missis potest quis eximere totius anni jejuni-*

junium, si voluerit verso Dei amore pro se ipso intercedere & peccata sua suo confiteri confessario.

§. XV.

Flagellationem spontaneam quod attinet, notandum eam primum novum quoddam poenæ seu medicinæ poenitentialis fuisse genus in Italia à quodam Dominico Eremita, Loricato dicto ac Eremitarum montis Sutria Priore, ut ex PETR. DAMIANO Lib. VI. Epist. 31. colligitur, introductum, à Damiano autem non modo summopere commendatum, verum & magno studio promotum. Ita autem de Dominicis isto Damianus Lib. I. Epist. 19. *Vix dies ulli preterit, quin duo Psalteria modulando, utraque manu scopis armata, nudum corpus allidat.* Et hoc remissori quidem tempore. Nam quadragesimalibus circulis sive cum paenitentiam peragendam habet, trebri enim centum annorum paenitentiam suscipit, tunc per dies singulos, dum se scoparum tunsonibus afficit, ut minus tria Psalteria meditando persolvit. Et paulo post: *Quadam die post vesperam cellulam meam ingratis, Magister, inquit, hoc enim vocabulo indignum me ex humilitate compellat, bodie feci, quod hac tenus me fecisse non memini; octo nempte Psalteria inter diem & noctem modularius explivi.* Videlicet autem tunc totus vultus ejus ita scopis attritus ac fulcansibus quibusdam vibicibus livefactus, tanquam si pila fuerit, prisnarum videlicet more contusus. Postea autem in paenitentia diurna relaxationem fuit adhibita, maxime apud Monachos. Cum enim Laicis permisum esset impositas paenitentias pecunia ac elemosynarum in pauperes erogatione redimere; Monachi autem pecunia bonisque omnibus renuntiantur ac consequenter isto paenitentias longiores redimendi remedio privati essent, spontanea hac flagellatione pro redempione uti coepere. *An hoc absurdum est ac frivolum judicabitur?* scribit DAMIANUS Lib. V. Epist. 8. *Quodsi hoc Laicis indulgetur, ut peccata sua elemosynis redimant, ne surripiente mortis articulo, ex hac vita sine reatus sui, quod abste, absolutione, recessant;* Quid Monacho praeципiendum erit, qui & longam force paenitentiam, peccatis exigentibus accipit & pecunias olim funditus, quibus redimatur, abject? Quin Epist. 19. Lib. I. refert Dominicis illius exemplo istum facienda ac redimenda disciplina morem adeo in Italia partibus inolevisse,

se, ut non modo viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorii genus
inhianter arriperent. Exempli loco commemorat relictam Tethbaldi,
viduam fœminam sublimis utique generis & non infima dignitatis, quæ
sibi aliquando retulisset, per præfixam hujus disciplinæ regulam centum
annorum pœnitentiam se peregrisse. Aliud item exemplum adducit,
pura Rodolphi Episcopi Eugubini, viri miræ sanctitatis, qui nunquam
Capitulo confessor interfuerat, in quo non accepisset disciplinam; &
tunc festivum exultasse, si non ab uno tantum, sed à duobus fratribus
flagellari juberetur. Sœpe eundem suscepisse pœnitentiam centum
annorum, quam per viginti dies allissoне scoparum, ceterisque pos-
nitentia remediis persolvebat.

§. XVI.

Peregrinationes cum porro ad pœnarum pœnitentialium com-
mutationes ac redemptions referimus, non de iis peregrinationibus
nobis sermo, quæ quandam ipsius pœna rationem habebant, cum vi-
delicit, pœnitentes domo sua recedere, patriam, parentes ac cognatos
deserere, è contra in terra aliena & peregrina vagari, nullibi etiam
certas sedes figere jubebantur. Mentionem ejus facit Pœnitentiale
Romanum Tit. I. c. 14. *Qui voluntarie Patrem suum aut matrem,*
vel filium aut filiam de sancto lavacro, seu fratrem sive sororem in Chri-
sto, aut Dominum suum, vel Dominam seu uxorem suam occiderit, quin-
que annis extra metas ipsius terre exul fiat: Tunc demum quindecim
annis pœniteat. Et Tit. 3. c. 24. ex altero Theodori pœnitentiali: *Si*
quis fornicatus fuerit, ut Sodomita fecerunt, si Episcopus viginti quin-
que annos pœnitiat, quinque ex his in pane & aqua & omni officio de-
ponatur, peregrinando finiat dies vite sua. Conf. & Beda Pœnit.
c. 7. & 8. Alexander II. pœnam hanc disjunctive dictit apud JUO-
NEM Episcopum Carnotensem Decret. L. X. c. 16. *Aut faciat car-*
cerem jejunans quotidie in pane & aqua, aut eate exul & jejunet tribue
diebus in pane & aqua. Improbarent autem & tunc jam haud pauci
ob turpes qui irrepferant abusus. Sic enim RABANUS MAURUS
Pœnitent. c. 11. *Parricidium quam sit detestabile crimen, in judicio*
facto inter Cain & Abel fratrem suum, Dominus ipse ostendit, cum ad
Cain parricidiam ait; Maledictus eris super terram, quæ apernit os su-
um & suscepis sanguinem fratris tui de manu tua: fructus ejus, pagus

& profugus erit super terram ; in quod etiam possit signum , b. e. ut
 tremens & gemens profugus semper vivet , nec auderet jam uspiam
 sedes habere quietas . Sed quia in modernis temporibus parricidae profu-
 gi discurrunt per diversa loca & variis vitiis & gulæ illecebria deser-
 viunt , melius mibi videtur , ut in uno loco manentes penitentia distri-
 buita semetipso castigant , si forte à Domini bonitate indulgentiam faci-
 noris sui percipere mereantur . Nec non Caroli M. capitularia Lib. I.
 c. 79. Nec isti nudi cum ferro finantur vagari , qui dicunt se data-
 fibi penitentia ire vagantes : melius videtur , ut si aliquid inconstitutum
 & capitale crimen commiserint , in uno loco permaneant laborantes &
 scientes & penitentiam agentes , secundum quod sibi canonice imposi-
 tum sit . Sed spectantur hic peregrinationes definitæ , sanctæ & reli-
 giosæ , puta ad Loca Sanctorum aut tempora , videlicet in eorum vel in-
 augurationibus vel festivitatibus anniversariis . Talem redemptio-
 nem quondam Cardinalis Damiani & Anselmus Lucensis , Nicolai
 II. legati , Archiepiscopo & clero Mediolanensi , qui Simoniacos ac
 Nicolaiticos crimines se polluerant , concedebant , ut adorationis causa
 vel Romanum vel Turonum vel B. Jacobi venerabilem tumulum in His-
 pania adirent , ut in Opusculo §. de actis Mediolani DAMIANUS re-
 fert . Plura exempla suppeditabunt Indulgentiarum Bullæ supra §. LV.
 & V. adductæ . Ad peregrinationes illas religiosas autem spectant & ex-
 peditiones sanctæ tum Hierosolymitanæ , tum Hispanæ . Ut enim Papa Ur-
 banus II. ab antecessoribus suis Sylvestre II. ac Gregorio VII. diu jam men-
 te conceptam pergravem illam , sedia autem Papali admodum proficiam
 expeditionem in terram sanctam , pro remienda infidelitate , liberandis
 fidelibus ab intollerabili Saracenorum jugo ac dilatanda Christiana re-
 ligione , cofacilius hominibus persvaderet , plenam peccatorum re-
 missionem seu indulgentiam bellum hoc suscepturnis largiter promisit .
 Audi hac de re apertam Urbani promissionem , quam consignatam re-
 liquit GVIL. TYRIUS Lib. I. de Bello Sacro c. 15. Nos autem
 misericordia Dei & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritatem
 confisi , fidelibus Christianis , qui contra eos armis ceperint & onus sibi
 hujus peregrinationis assumpserint immensas profusis delictis peniten-
 tiæ relaxamus . Qui autem in vera penitentia deceperint & pecca-
 torum indulgentiam & fructum eterna mercedis se non dubitent habi-
 turos . Canona . 2. Concilii Claromontani hac in re habiti idem si-
 guit

gnificat, ita sonans: *Quicunque pro sola devotione, non pro honoris vel pecunie adēptione, ad liberandam Ecclesiam DEI Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pānitentia ei reputetur.* Confirmabat hoc Urbani institutum Seculo sequenti Callistus II. in Concilio generali Lateranensi, I. A. 1122. habito, quin & ad alteram expeditionem Hispanicam, pro compescendis ac extirpandis Saracenis ac Mauris Hispaniam valtantibus, extendebat. Verba ejus can. Il^e ita ionant: *Eis qui Hierosolymam proficiscuntur & ad Christianam gentem defendendam & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium prabuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos & familias atque omnia bona eorum in B. Petri & Romane Ecclesiae protectione, sicut à Domino nostro Papa Urbano statutum fuit, suscipimus — Eos vero, qui pro Hierosolymitano vel Hispano itinere crucis fibi in uestibus posuisse noscuntur & viam dimisisse, crucis iterato assumere, viam ab instanti Pascha, usque ad sequens proximum Pascha perficere Apostolica autoritate precipimus.* Fovebat Eugenius III. Ut enim Ludovicum Francia Regem ad alteram expeditionem in terram sanctam tanto facilius pelliceret, ita eundem Epistola transmissa, quam refert OTTO FRISINGENSIS Lib I. gestorum Frederici I. c. 35. alloquitur: *Nos autem uestrorum quieti & ejusdem Ecclesia destitutiōni paterna sollicitudine providentes, illis qui tam sanctum, tamque perneciarium opus & laborem devotionis intuitu suscipere & perficere decreverint, illam peccatorum remissionem, quam prefatus predecessor noster Papa Urbanus instituit, auctoritate nobis à Domino concessa concedimus & confirmamus.* Interjectis hic quamplurimis civilibus privilegiis, subdit: *Peccatorum remissionem & absolutionem juxta prefati predecessoris nostri institutionem omnipotentis DEI & B. Petri Apostolorum Principiis auctoritate nobis à DEO concessa talem concedimus, ut quicunque sanctum iter devote inciperit & perficerit, sive ibidem moriuua fuerit, de omnibus peccatis suis, de quibus corde contrito & humiliato confessionem suscepere, absolutionem obtineat & sempiternae retributionis fructum ab omnium remuneratore percipiat.* Cum posthac nova sub Clemente III. suscipienda esset expeditio, & hic Papa predecessorum suorum vestigia premens hominum animos simili amplissimarum indulgentiarum pollicitatione ad eandem excitavit. Verba ejus in Epist. ad Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum apud MATTH. PARIS ad A. 1195. p. 150. hæc sunt:

sunt: *Nos autem illis qui pro divinitatis amore hujus peregrinationis laborem assumere & quantum in se fuerit, implere studuerint, de indulto nobis à Domino auctoritatis officio illam remissionem impositae paenitentiae per Sacerdotale ministerium facimus quam prædecessores nostri suis noscuntur temporibus statuisse, ut videlicet qui corde contrito & humiliato spiritu laborem hujus peregrinationis sumpserint & in paenitentiam peccatorum hoc iter expedierint, si fide decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam & vitam consequantur eternam.* Commendat hasce indulgentias mirum in modum BERNHARDUS quoque Epist. 322. T. 1. Oper. p. 131. item Exhortat. ad Milites templi c. 5. T. IV. Oper. p. 98. Incredibile etiam dictu quanta hominum multitudo, non modo notorie impiorum, verum & cœterorum omnium generum tam amplissima mercedis pollicitatione allecta peregrinationem hanc aggressa fuerit. *Vacuantur urbes & castra & pene jam non inveniunt quem apprehendant septem mulieres virum unum, adeo ubique viduae vivi remanent viris* scribit BERNHARD. Epist. 246. T. 1. p. 109. Et GVILEL. MALMESBUR. Lib. IV. D situebantur agri cultoribus, aedes habitatoribus, totis porro migrabatur urbibus. Nullus necessitudinum amor, affectus patrie viles — Gaudium erat eunibus, mœror remenantibus. Videres maritum cum matrona, cum omni postremo familia eunem. Videres carpentis impositos toros in iter transferre penates. Augustus erat limes transeuntibus, arctus trames itinerantibus, sic ruebant agmina serie longa trahenia. Opinionem hominum vincet numerus, quamvis affirmarentur sexages centum milia itinerantium.

§. XVII.

Modo memorata poenarum paenitentialium commutationis ac redemptionis species aliam statim peperit, ut videlicet pro carum exsolutione certa pecunia summa penderetur. Etenim non licet omnibus ob calus varios intervenientes crucem sumere ac militiam sanctam sequi; his itaque concessum erat militem in terra sancta militaturum suis sumptibus atere & vel hac ratione poenas paenitiales redimere. Hac tamen cum differentia, ut ipsum iter Hierosolymitanum suscipientibus integra relaxatio seu remissio obtingeret; ceteris autem pars tantum quedam poenarum, vel tertia, vel quarta, vel

vel septima, vel alia remitteretur, ut docet ALEXANDER Summae part. 4. qv. 23. membr. 8. Accessit mox opinio eandem virtutem habere sumptus in Ecclesiarum ædificationem, reparationem, ornatum aut similia suppeditatos; quin extendebat ista relaxatio & ad res seculares v. g. pontium, itinerum rerumque similium refectio- nem. Luculenter id comprobat consueta illa relaxationis formula: *Qui denarium in ædificationem aut reparationem hujus Ecclesie vel Oratoriū contulerit, tertiam partem vel quartam &c. pœnitentiarum imponendarum illi in Domino relaxamus.* Aut ut habet Bulla Archiepiscopi Jasperi §. V. adducta: *Nec non qui ad fabricam altaris prefati luminaria, ornamenta, libros, calices, aurum vel argenteum aut quevis alia necessaria in suis testamentis seu Codicillis vel extra dona- verint sive legaverint, donari vel legari procuraverint, manu adju- trices porrexerint. --- Quotiescumque quandocumque & ubicumque premisso vel aliquid premissorum devote fecerint. Nos Jasperus Jan- ete Metropolitane Rigenis Ecclesie Archiepiscopus prefatus de omnipo- tenzia DEI misericordia, Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum au- toritate confisi octuaginta dies indulgentiarum de injunctis eis pœ- nitentiis in Domino misericorditer relaxamus & concedimus per pre- sentes.* Et quantumvis ab initio nova haec relaxationis species multis, imprimis è Doctoribus Parisiensibus, exfolvendam esse pœ- nitentiam injunctam urgentibus, displiceret, qui haud parvas circa eam moverunt difficultates, vid. qua hanc in rem è PETRI Canto- ris Parisiensis Summa MSta de Sacramentis & animæ consiliis fol. 189. adducit MORINUS de Pœnit. Lib. X. c. 20. §. 6. 7. p. 769. brevi tamen tempore nimium quantum invaluit, maxime cum in- gens lucrum temporale, maximaque commoda in Ecclesiarum fabri- cas ac Episcopos inde redundant. Exemplo esse poterit Mauricius Episcopus Parisiensis, qui quamvis ex infima eaque pauperima ple- be prognatus omnibus opibus destitutus esset, immanem tamen illam ac admirabilem fabricam Ecclesiae Cathedralis Parisina B. Vir- gini Deiparae sacrae, una cum quatuor Abbatii in agro Parisensi fundavit, exstruxit ac dotavit, non aliunde, quam propofita confe- rentibus nummos suos in istas fabricas pœnitentiarum remissione tum partiali, tum totali. Hunc mox secuti sunt alii Episcopi, quin, ut antea dictum, rem adeo proficiam brevi & ad pontium, viarum,

rerumque similium reparationem ac conservationem extenderunt. Prolixus est in commendanda hac redēptione GVILELMUS Parisiensis Episcopus de Sacramento Ordinis cap. ult. multis contendens compensationem relaxationis pœnitentiæ canoniceæ, quæ sit dando unum denarium aut tria ova in adificationem Ecclesiæ aut ad similem plium usum utiliorem esse, Deoque magis acceptam, quam pœnitentiæ & diutinarum macerationum exercitium, eo quod hac largitione DEI cultus propagetur & Sanctorum, qui in illa Ecclesia coluntur, intercessiones concilientur. *Honor cultus ipsius*, inquit, atque servitum non solum supplet quod de Pœnitentiis per indulgentias detrabitur, sed etiam superabundat in multo: maxime cum sacrificium laudis, orationum incensa & laudum thymiamata plus DEus diligit, quam tormentorum pœnitentialium carnificinam, sicut ipsem testatur Esa. LVIII. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid saccum & cinereum sternere? --- Manifestum ergo est, quod & major honor si DEO, majorque utilitas animabus propter causas quas divino servitio, seu cului superiorius assignavimus, adficiari Basilicam unam, in qua DEus jupiter servatur, animabus, sacrificiis & orationibus assidue succurratur, Sanctorum suffragia, qui, quacunque voluerint, apud Dominum possunt, die ac nocte ab eis imperentur. --- Episcopalis ergo potestatis & officii est, carnificialem illam afflictionem quantamunque, sive pro parte, sive pro toto, sicut expedire viderit, in bujusmodi bonum vel simile vel alteriusmodi, quod publica requirit utilitas, comutare.

§. XVIII.

Verum hæc omnia nondum sufficiebant ad eximendum seruum Doctorum illius temporis animis injectum, qui ob unum vel alterum denarium in Ecclesiarum, altarium, pontium, viarum &c. refectionem ac commodum oblatum tam ampla fieri posset remissio, aut relaxatio hæc ad peccata in universum omnia extendi. Levissima ista pœna levitas, si quis, præterim opibus abundans, contribuendo unum vel alterum denarium ab omnibus peculis canonicis multorum annorum jejunia aut alia opera durissima præscribentibus statim ac ita facile liberaretur, crucem semper animis figebat, valide

dane esset talis relaxatio c̄itra intervenientem aliam poenam relaxatæ proportionatam? Sic & continuo recurrebat istud Augustini aliorumque Patrum tritum axioma: quod homo non punit DEus punit. Post alias itaque bene multas hunc in finem excogitatas medelas omnium optima ac acceptissima ea visa est, quæ compensationem poenæ relaxatæ e stabilito pretioso Ecclesiæ thesauro deprompsit. Constatbat hic thesaurus ex operibus satisfactoriis Christi B. Mariæ Virginis, Apostolorum, cœterorumque Sanctorum Christi membrorum. Quod Christi satisfactiones hic omittant Gelasius II. Honorius II. Bonifacius VIII. Papæ Romani, mirum profecto. Quia cum illi iis superabundarent in Ecclesia recondita erant, ut inde Pontifex ac Episcopi per indulgentias suas tantum depromerent ac poenitentibus in propriam satisfactionem applicarent, quantum hisce sufficere judicarent. Confugit ad hunc Ecclesiæ thesaurum ALEX. HALENSIS Part. 4. Summæ qv. 23. qui uti eundem membr. 3. una cum fundamentis suis latius exposuerat, ostendendo thesaurum hunc è meritis supererogationis membrorum Christi & maxime de supererogationibus meritorum Christi componi, ita membr. 6. inde tritam tum temporis objectionem: Aut DEus punit, aut homo; unde multi colligebant: si homines poenam omnem relaxent, DEum illam punire & consequenter indulgentias, præsertim universales sive plenarias, apud DEum non valere, hac ratione solvit: Potest dici quod quando Dominus Papa dat plenam indulgentiam, ipse punit obligando Ecclesiam aut aliquod membrum Ecclesiæ ad satiæciendum. Vel potest dici quod thesaurus Ecclesiæ, qui exponitur pro satisfactione Ecclesiæ habetur principaliter à meritis Christi --- Unde potest dici quod DEus punit mala, qua indulgentur, ut homo & DEus, patiendo & satisfaciendo pro nobis & sic Christus DEus & homo punit, sive punivit. Similiter quoque ALBERTUS Magnus Theologorum Dominicanorum princeps. Adduxerat in 4. diff. 20. art. 16. duas Magistrorum tunc vulgatas relaxationum definitiones: Magistri, inquit, definiunt relaxationem sic, est satisfactionis majoris in minorem competens & discreta commutatio. Alii sic, relaxatio est pœna temporalis debita permissa diminutio. Jam tertiam, suam procul dubio, subnedit: Si quis tamen banc dare vellet, scilicet quod indulgentia, sive relaxatio, est remissio pœnae iniunctæ ex vi clavum & thesauro supereroga-

erogationis perfectorum procedens, puro quod melius definiret. Explicat deinde totam, de ultimo autem ejus membro ita scribit: *Quia vero non potest remitti debite & discrete pro perceatis injunctum uni nisi fiat recompensa per alterum, qui plus debito facit; ideo subiungitur ex thesauro supererogationis perfectorum procedens.* In hoc enim thesauro habet Ecclesia, divitias meritorum & passionis Christi & gloriose Virginis Mariae, omnium Apostolorum & Martyrum & Sanctorum DEI, vivorum & mortuorum. Omnia magnificenter autem de hujus thesauri virtute THOMAS AQUIN. loquitur, spretis enim reliquis omnibus rationibus pro indulgentiarum valore ab antiquioribus Scholasticis adductis thesauro huic unice innititur, indeque omnem indulgentiarum efficaciam deducere allabarat. Verba ejus in 4 dist. 20. qv. 1. art 3. ita sonant: *Causa remissionis paenitentiae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesie quae se habet sufficienter ad totam paenitentiam expiadandam: non autem causa remissionis effectiva est, vel devotio, aut labor aut datum recipientis, aut causa pro qua sit indulgentia.* Unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad meritum Ecclesie quae semper superabundant, & ideo secundum quod applicantur ad ipsum, secundum hoc remissionem, consequitur. Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi ejusmodi thesauro, & anno ejus cui dispensatur ad eum qui merebatur, quod est per charitatem, & ratio dispensationis secundum quam salvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerant. Fecerunt enim ad honorem DEI & utilitatem Ecclesie in generali: Unde & quaecunque causa adist quae in utilitatem Ecclesie vergat & honorem DEI, sufficiens est ratio indulgentias elargiendi. Idem indulgentiarum fundamentum praedicit Clemens VI in extravagante, *Unigenitus*, quae refertur Extravag. Commun. Lib. V. tit. 9. c. 2. una cum reliquis Scholasticis omnibus, praterquam FRANCISCUM MAYRONIS in 4. dist. 19. qv. 2. id negantem, cum utræque & Christi & Sanctorum passiones sufficienter a DEO consecutæ sint remunerationem: nec non DURANDUM DE SANCTO PORTIANO, qui adductæ rationi hanc quoque addit: quod Sancti pro aliis pati nunquam intenderint, in 2. Sentent. dist. 20. qv. 3.

§. XIX.

Varia autem circa expositami pœnitarum pœnitentialium commutationem ac redemptionem notanda veniunt. Atque initio quidem probe obseretur eandem non in omnibus pœnis invenisse locum, quia quedam vel ægre, vel etiam simpliciter redimi non poterant, sed sine tali commutatione complendæ erant. Et quidem erant tales pœna certorum dierum jejunia, in quibus tamen determinandis Autores variare deprehendes. Concilium Epaunense A. 517. celebratum can. 29. certis criminum reis tertiaræ diei jejunium sine relaxatione in pœnitentiam per biennium agendum imponens in hunc censum jejunium tertiaræ diei quod referat manifestum. Iterum Concilium Triburiense I. A. 895. habitum jejunium feriaræ secundæ & quartæ equidem denarii pretio redimere permittit, sextam autem feriam caute observare jubet. In his quatuor annis teria feria & quinta ac Sabbato manducet & bibat quodcumque libeat. Et secundam atque quartam feriam denario aut prædicto denarii pretio redimere jus habeat. Sextam vero feriam caute observet, Can. 58. Hæc ut tanto facilius intelligantur, tenendum septimanam à veteribus in duas partes fuisse divisam, atque unicuique parti tres assignatos dies, ferias ipsis dictos: Prima quidem feriam secundam, quartam & sextam, quæ vulgo dicebantur feria legitimæ; Secundæ tertiam, quintam & Sabbatum. Nam istæ quidem legitimæ feriaræ, ut maxime esuriales in pœnitentiæ inicio non facile redimebantur, nisi forte itineris aut infirmitatis causa; Hæc è contra facile poterant redimi, excepto cum gravissima cuiquam dictata esset pœnitentia. Procedente tamen tempore uti priores feriaræ jam sine difficultate redimi poterant; ita posteriores absque ulla redemptione fuerunt relaxatae, quin in minoribus pœnitentiis ne quidem in hisce jejunare demandatum fuit. Deinde variis etiam cum modificationibus hæc relaxatio fieri solebat. Primum vix aut nunquam anno primo ulla concedebatur redemptio; raro secundo & tertio anno. Inde modica erat hæc redemptio primis annis. Vix concedebatur in tribus Quadragesimis; imo in Quadragesima magna Pascha antecedente nunquam Post tertium & quartum annum redemptio multo erat facilior. Neque tamen modo commemorati anni simul & se mel, aut etiam unus eorum integre redimebantur; sed saltē dic-

rum singularium in iis permisſa erat redemptio. Sic & istius diei
 redemptio aliquando integra erat, ita ut paenitenti liceret ea die
 comedere quicquid volupe erat: aliquando restringebatur & veluti
 dimidiabatur, h. e. licebat ei data eleemosyna carnes aut pisces come-
 dere, sed non bibere vinum vel aliud quid simile. Hæc potissimum in Quadragesima magna, nec non diebus Veneris obſervabantur.
 Lapsu autem temporis non modo dierum, sed mensium quo-
 que ac annorum pariter redemptio permisſa non tantum fuit, sed
 & optio paenitenti communiter data; an paenitentiam impositam
 peragere, an potius ejusmodi redēptionem eligeret mallet. Porro
 nec tota ſemper poena relaxata fuit, verum ejus vel media, vel tertia,
 vel quarta ſaltem pars, ne forte ſi tota ita facile remitteretur, Eccle-
 ſiaſtifica disciplina dissolvetur ac tandem pefum daretur. Hinc &
 ipsi Pontifices in concedendis indulgentiis parcí erant, & ne per
 ceterorum Episcoporum nimiam liberalitatem illæ profunderentur
 prudenter providebant, terminos nempe certos Episcopis hic figen-
 tes, quos transgredi nefas eſſet. Praſtit id inter alios Innocentius
 III. cum univerſo Concilio Lateranensi IV. can. 62, ita decernens:
*Ad hac quia per indiscretas & ſuperfluas indulgentias quas quidam
 Eccleſiarum Pralati facere non verentur & claves Eccleſie contemnun-
 tur, & paenitentialis ſatisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedi-
 catur Basilica non extendatur indulgentia ultra annum, ſive ab uno
 ſolo, ſive à pluribus Episcopis dedicetur. Deinde in anniversario de-
 dicationis tempore quadraginta dies de injunctis paenitentiis indulta
 remiſſio non excedat.* Hinc quoque dierum numerum Indulgentia-
 rum literas precipimus moderari quæ pro quibuslibet cauſis aliquoties
 conceduntur, cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem habet potesta-
 tis, hoc in talibus moderamen conſuevit obſervare. Patet id etiam
 ex ipsarum Bullarum Indulgentiarum ſupra adductarum oculari in-
 ſpectione. Baronius ad A. 1177. n. 7. seqv. T. XII. col. 853. ex hoc
 ipſo fundamento ea quæ in monumentis Eccleſiae Anconitanæ de
 Alexandro III. Romano Pontifice narrantur, concessum ab eodem
 fuille Anconitanis primis diebus dominicis singularum mensium
 tantum indulgentiarum, quantum arenæ poſſent capere ambaꝝ manus
 ſimil juncꝝ, ut ſuppolitiſta ac riſu digna rejicit, cum non ſolerent
 Pontifices ejusmodi universales indulgentias concedere, præterquam

iis qui expeditiones in terram sanctam susciperent, ne beneficium male locatum dispendium fieret ac maleficium, censuraque divina solveretur. Denique & de modo computandi penarum penitentialium redemptions quædam adjicienda erunt, ut sic tanto facilius intelligatur, qui brevi sc̄ep̄tū tempore multorum annorum penitentia fuerit exsoluta. Videlicet certa redemtionum facta fuerat estimatio, ita ut unus jejunii dies, una septimana, unus mensis, unus annus tot nummis, tot Psalmorum decantationibus aut recitationibus, tot percussionibus & id generis aliis redimi possent; Quicunque itaque penitentium praedicta brevi tempore praftabant duplicabant, triplicabant &c. plurimorum annorum penitentiam intra paucos dies explevisse judicabantur. Sic inter alia centum solidi in eleemosynam dati uni penitentiae anno æquabantur; qui centies ergo id praestabat centum annorum penitentiam, qui milles, mille annorum absolvebat. Neque tamen hic computandi modus adeo vetustus censer debet. Quantumvis enim sc̄ep̄tū ad ducta Penitentialia Bedæ, Burchardi, Iwonis, Reginonis diversas redemtionum species commemorent, nil tamen de computatione tali habent. Sic nec Patrum aut reliquorum Autorum antiquorum testimonii res hæc confirmari poterit, apud quos altum hic silentium. PETR. DAMIANUS autem ejus faciens mentionem, &c quidem ut rei novæ in Dominico exorta, sua ætate eandem haud fuisse superiorem satis luculentem innuit. Non denuo hic transcribam, quæ supra §. XV. ex eodem de Dominico ut novæ hujus redemtionis auctore adducta, sed illa saltē, quæ computandi hanc rationem attinent, commemorabo. Ita autem Lib. I. Epist. c. 7. Porro cum tria scoparum millia unum penitentiae annum apud nos regulariter explant, decem autem Psalmorum modulario, ut sepe probatum est, mille scopas admittat, dum centum quinquaginta Psalmis constare Psalterium non ambigitur, quinque annorum penitentia in unius Psalterii disciplina recte supputantibus invenitur. Sed, five quinque vices ducas, five viginti quinques, centum faciunt. Con sequitur ergo, ut qui viginti Psalteria cum disciplina decantat centum annorum penitentiam se peregrisse confidat.

§. XX.

Sequitur ut quo tempore commemorata illæ commutations

ac

ac redempções pœnarum pœnitentialium cœperiat in Ecclesia adhiberi indigitemus. Quanquam jam earundem originem accurate determinare non liceat, cum nuspia in Historia id luculenter reuelatum sit, id tamen certum multo recentioris esse ævi, quam ut veræ ac incorrupte antiquitatis nota superbire possint, cum nullum ex hac pro earum antiquitate, longoque in Ecclesia usu adduci possit testimonium. Nec opinandum etiam omnes uno eodemque tempore invaluisse, quin altera altera prior exstitit. Quod itaque primi generis redempções per nonnulla opera leviora §. XIV. recensitas attinet, nullum pro iis testimonium octingentis & aliquot annis supra antiquius adferri poterit, quin & talia testimonia perquam rara sunt, usque dum artigeris annum salutis nongentesimum seu Sec. X. Evolvat quis Capitularia Caroli M. Ludovici, Caroli Calvi, nec non concilia iis regnantibus celebrata; nullam tamen redemptio num pœnitentiaz mentionem fieri deprehendet, multo minus quo modo illæ fieri debeant leget præscriptum. Primam redempcionum mentionem deprehendi in Capitulis è corpore Canonum excerptis Herardi, Archiepiscopi Turonensis, qui cap. 26. statuit: *Ut nullus pœnitentem cogat manducare vel bibere, nisi redemptio permitta sit: ita tamen, ut prius pro eo donet coram ipso redempcionem.* Inde Concilium Triburiense I. cuius hac de re sanctionem §. præced. expressimus, proprie huc spectat; verum notissimum ista A. 858. hoc A. 895. non esse antiquiora. Post alterum Remense V. concilium redemptionum facit mentionem, quando illius provincie Episcopi indicatur qualisnam pœnitentiam iis, qui bello Svecionico inter Carolum & Robertum interfuerant, competenter ita decernunt: *Ut tribus quadragesimis per tres annos agant pœnitentiam. --- Omnis bus vero bis Quadragesimæ, secunda, quarta & sexta feria, in pane, sate & aqua abstineant aut redimant. Similiter quindecim diebus ante Natalem S. Jobannis Baptiste & quindecim diebus ante Nativitatem Salvatoris, omni quoque sexta feria per totum annum, nisi redemerit, aut festivitas celebris ipsa die acciderit, vel eum infirmitate five militia detenutum esse contigerit.* Ast habitum illud A. 923. Regino Prumiensis Abbasjam commenmorandus erit sub finem §. XIV. hanc in rem citatus. Nec is vero asserto nostro adversatur, cum sub finem Seculi IX. vixerit ac Collectionem suam de Disciplina

sciplina Ecclesiæ veterum Germanorum jussu Rathbodi Trevirensis Ecclæsie Archiepiscopi demum A. 906. conscriperit, nec etiam hac in re aliud quid Remensi concilio antiquius citet. Nec opus est de Burchardo quidquam addere, quandoquidem ille Reginone posterior ac Libros suos Decretorum primum sub finem Seculi decimi & ineunte undecimo congesserit. Id tamen forte scrupulum cuiquam injicere posset, quod multa in iis e penitentialibus antiquissimis, Theodori, Bedæ, nec non Romano transcripsérunt. Notius est, quam ut negari possit, Theodorum Cantuariensem Archi-Episcopum medio Sec. VII. Bedam autem sub initium Sec. VIII. vixisse; illi ergo cum in penitentialibus suis commutationum ac redemptiōnū faciant mentiōnēm, has termino à nobis constituto esse antiquiores fatis clarum. Verum non adeo difficultate scrupulum hunc eximere. Theodorum Penitentiale, opus omnibus pene penitentiæ casibus accommodatum in gratiam Ecclesiarum Anglicanarum conscriptissime non nego; ast incorruptum illud habuisse Burchardum non sine ratione dubito. Etenim non conciliare possum, qui Cuthbertus Theodori uno intermedio in Archiepiscopatu Cantuariensi successor una cum reliquis Anglia Episcopis in Synodo Cloveshoviensi II. A. 747. can. 26. redemptiōnes illas per elemosinas ut novam, ad inventionem juxta placitum propriæ voluntatis ac plurimi tunc periculofam confuerudinem, proscribere potuerit, cum sane apud Anglos longe maxima Theodori esset autoritas. Aut quia etiam in aliorum Conciliorum canonibus post Theodorum de penitentia agentibus adeo altum de redemptiōnibus silentium esse potuisset. Recentior proinde manus, redemptiōnibus illis jam invalescentibus, hæc Theodori Penitentiali addidisse censenda, forte ut tanto majorem iis conciliaret autoritatem. Idem etiam ad alterum Bedæ Penitentiale regerere licet. Non esse enim illa, quæ de redemptiōnibus adducuntur, Bedæ non unum svadet. Primo enim antiquum Penitentialis exemplar ab Ecberio, Bedæ coœvo, recensitum talia non habet. Deinde modo Bedæ, modo Penitentiali Romano hæc tribui videas. Denique simile additamentum factum fuisse in antiquo penitentiali Romano convincere videatur comparatio c. 23. tit. 3. Penitentialis Romani vulgo editi cum Burchardi L. XVII. c. 56. Utrobique idem caput ex antiquo Penitentiali Romano citatur, apud Burchardum tamen nonnulla interse-
runtur,

runtur, quæ in edito Romano non comparent. Relinquitur proinde conjecturæ locus Burchardi transcriptorem ista textui ut omissa inferenda esse judicasse. Antiquitatis ergo indubitatam fidem haud faciunt, quæ ex antiquis illis Poenitentialibus adducuntur, nisi antiquissimi fuerint Codices, eo quod ejusmodi libri, ut & rituales, quo recentiores sunt eorum codices, eo magis additamentis sint obnoxii, è contra eo simpliciores, quo antiquiores.

S. XXI.

Flagellationes spontaneas quod concernit eas Dominicum Eremitam agnoscere autorem §. XV. probavimus; ccepere ergo primum vergente Sec. X. in Ecclesia adhiberi. Has non multo post exceperunt peregrinationes ad loca sancta, nec non expeditiones sanctæ, in Concilio Claromontano II. A. 1095. celebrato cum pollicitatione indulgentiarum plenarum primum solenniter constituta, ceu §. XVI. dictum. Tandem circa medium aut vergente iam Sec. XII. ccepere poenitentia per manuum auxiliatricum luppeditationem redimi. Non dissidentur id Pontificii cordatiores, rei luculentia veritate convicti. MORINUS postquam multa de hac relaxationum specie, quæ jam Pontificiis Indulgencias καὶ ἐξοχὴν dicuntur, protulisset Lib. X. de Poenit. c. 20. §. 9. p. 770. notanter subjicit: *Ex universi nostri sermonis consequentia non abs re collige aliquis, initium tertii indulgentiarum generis altius multo non esse repetendum, quam à tempore mediis Seculi duodecimi. Vix enim ante illam etatem occurrant ejusmodi indulgentiarum argumenta.* Contentanea his sunt, quæ scribit PAPEBROCHIUS in Act. Sanct. T. I. mense April. p. 792. n. 103. Norunt & jam passim conscientiæ eruditæ in curia Romana viri, ejusmodi indulgentiarum dandarum formulas nonniſi XI. aut XII. seculo ceptas in Ecclesia usurpari. & circa difficultatem refellunt unum alterum temporis anteriori fidelium exemplum, quod posset in contrarium objici. Probat id præterea CHEMNITIUS Exam. Concil. Trident. Part. IV. c. 4. p. m. 121. inde, quod nil de postremis his indulgentiis apud Burchardum, Gratianum vel Longobardum: *Eo tempore Burchardi quidem, scribit, qui circa annum Domini 1020. scriptis ac Gratiani etiam tempore, cuius decretum circa annum Domini 1150. editum esse Glos. 2. qu. 6. testatur, communaciones satisfactio-*

num

num capisse supra ostendimus. De indulgentiis vero, de quibus nunc agimus nulla in ipsorum scripto existant vel testimonia, vel exempla. Nec in Longobardo etiam. Ergo non longe ante annum Domini 1200. videntur originem suam capisse novae haec indulgentie.

§. XXII.

Lustremus nunc quæ & hic in contrarium ac pro probanda indulgentiarum enumeratarum antiquitate alii Pontificiorum obserunt. Jam supra §. VI. dictum: Multum eos in Gregorio M. gloriariri, à cuius quippe tempore Indulgentiarum usum usque adeo notum & perspicuum fuisse jactitant, ut ne aduersarii quidem id negare, nisi omnino impudenter, valeant. Hunc enim in diebus stationum populo Romano indulgentias concessisse tum è GVIL. ALTISIODORENSI Lib. IV. Summa Tract. 6. c. 9. tum S. THOMA in 4. Sent. dist. 20. qv. 1. art 3. quæst. 2. autoribus gravissimis probant. Instituit Rome ejuusmodi relaxations & si aliquis est Roma per Quadragesimam & sequitur processiones habet de relaxacionibus plusquam quinquaginta annos, inquit de Gregorio ALTISIODOR. 1 c. Verum pudeat hic potius Pontificios, eorumque Promachum Bellarminum talia in comprobanda re ardua adducere, quæ manifesto falla sunt. Quid enim hoc aliud, quam incauti deliberato consilio imponere? Falsum Gregorium M. in diebus stationum populo Romano indulgentias concessisse, cum ne verbulum quidem de eo vel in Gregorio, etiam iis in locis, ubi eas commemorandi perquam opportuna erat occasio, vel in scriptoribus coævis aut proxime sequentibus. Nec vel Altisiorensis vel Thoma (antiquiores producere non possunt Pontificii) etiam tanta est autoritas, ut in nudo eorum testimonio acquiescamus. Sunt enim Scriptores multo recentiores, qui Sec. XIII. adeoque annis plusquam 600, ab obitu Gregorii M. vixere; habuere ergo illa vel ex ipso Gregorio, vel ex scriptoribus aliis Gregorio proximis, vel ex revelatione divina, vel traditione. Neutrum priorum adstrui potest, ergo habuere è traditione vulgata, hæc autem quam fallax sit, ecquis ignorat? Imo hos ipsos autores, quos tanti facit Bellarminus Lib II. de indulg. c. 20. ut eorum affirmationem multo amplius valere dicat, quam silentium omnium aliorum scriptorum, alii Pontificiorum saniiores in antiquitate parum versatos ac infelices histo-

historicos vocant, in quoram allegationibus multa deprehendantur falsa, quique errorem vulgi sequentes sc̄epissime decepti sint. Tale de iis judicium ferunt plus simplici vice tum MORINUS, tum PAPEROCHIUS in scriptis suis. Audiamus quid in specie de praesenti testimonio judicet MORINUS Lib. X. de Poenit. c 20. §. 10. p. 770. Refert, inquit, Guilelmus velut ex S. Gregorio quod exscriptum, nonnullique post ipsum Scholastici celebres. Sed apud S. Gregorium ista nunquam occurunt, nec quid aliud quod aliquatenus hoc confirmet. Mirum est morem, qui si est aliquid, debuit esse frequen- tissimum propter sui commoditatem & utilitatem, apud Sanctum deprehendi, de quo nec eo tempore, nec multis ante & post seculis, nulla memoria, nullum vestigium, nulla umbra. Formata sibi jam exceptione: At Guilelmus Altisodorensis testatur S. Gregorium ita statuisse & celebres Scholastici vel illius auctoritate fulti, vel eodem codice quo usus est, persuasi idem affirmant. Candide respondet: Quis nescit qua critica valerent in antiquis operibus discernendis & dispungendis plerique istorum seculorum autores? Num aliquando non imposuit ipsis titulus libro ab impostore positus? Rem notissimam quid opus est pluribus persequi. Nec adeo difficile etiam erroris originem pandere. Converabant Pontifices Romani post tremorum temporum ad stationes in certis urbis Romae Ecclesiis multas & magnas profundere indulgentias. Bonifacius VIII. Basilicæ S. Petri & Pauli hoc privilegium concessit. Addidit Clemens VI. Ecclesiam Lateranensem; Sixtus IV. Ecclesiam Mariae majoris. In his jam Ecclesiis indulgentiarum primum in Jubilæis concedebantur: ait brevi post, negotiatione hac adeo feliciter procedente, additæ sunt alia etiam urbis Ecclesiæ & indulgentiarum numerus singulis ferme diebus in infinitum auctus fuit, ita ut juxta suppurationem Quæstorum hospitalis Sancti Spiritus Romæ inveniantur indulgentiarum omnium & singularium stationum ultra decies centena millia annorum & plusquam quadraginta duæ plenariae. Conf. CHEMNIT. Exam. Conc. Trident. Part. IV. c. 4. p. m. 133. qui distinctius summam hanc indulgentiarum ex summis tum latine Romæ A. 1475. tum posthaec germanice Norinbergæ A. 1491. editis oculos sicut. Animadverentes itaque Gregorium M. stationum facere mentionem, ejusdemque homilias in iis habitas profare, credidere suas cum Gregorii stationibus amice conspirare eundemque morem

morem Gregorio fuisse servatum, qui sibi familiaris. Se decipiuntur nimium quantum, & alios quoque decipiunt, qui ita concludere convevere. Non piger hic denuo transcribere illa BONÆ Lib. III. rer. liturg. c. 18. §. 1. *Multa quidem vocabula nobis & priscis Patribus communia retinemus, sed sensu ab eo, quem tunc habebant, non minus alieno, quam nostra tempora à primis post Christum Seculis remotas sunt.* Hoc ut tanto clarius eluceat, brevibus quid primis illis Christianis fuerint Stationes explicandum erit. Nil aliud autem erant, quam stata quadam feriæ, quibus vel Dominica die vel alia etiam, maxime Mercurii & Veneris, populus in templis conveniebat ad adorationem, verbi auditum ac mysteriorum participationem. Nomen videtur accepisse vel de militari exemplo, ut loquitur TERTULL. de Oratione c. 14. T. 11. p. 183. Quemadmodum enim excubia militum & eorum praeforibus palatii standi excubandive functio statio vocabatur; ita verisimile quoque Christianos moram istam ac officium, quod pro tutela Ecclesia atque ut DEI misericordiam & gratiam sibi conciliarent, in Ecclesia usurparabant, excubias & stationem vocasse. Vel quia stantes verbum audiebant. Pluribus de iis egere ISIDORUS HISPAL. Lib. VI. Origin. c. 19. p. 83. JAC. PAMELIUS not. ad Tertull. Lib. de Orat c. 14. & Lib. II. ad Uxorem c. 4. DIONYS. PETAVIUS Animadv. in Epiphanius exposit. Fidei T. II. Oper. p. 356. seqv. GAB. ALBASPINÆUS Libr I Observat. Observ. XVI. p. 69. seqv. E contra stationes Pontificiorum definitio MACRO Hierolex. p. 581. loquente etiam id re ipsa, sunt indulgentiae qua acquiruntur in ea Ecclesia, in qua statio assignata. Diversæ ergo prorsus naturæ. Præterea sicut nemo ita concludit: Tertullianus ll. cc. Cyprianus Epist. XL. Gregorius Nazian. Orat. in conc. Ep. mentionem faciunt stationum, ergo per eas indulgentias intelligunt. Sic nec circa Gregorium M. eadem valet collectio.

S. XXIII.

Excipit autem circa hoc Gregorii M. exemplum SEB. à S. PAULO in exhibitione errorum Papebrochii art. XIII. § 3 n 30. 31. posse illud ex alio quodam antiquitatis monumento comprobari, videlicet e veteri Tabula Ecclesiæ Lateranensis, in qua S. Gregorium & ante illum S. Sylvestrum, plenariam indulgentiam omnibus ad Ecclesiam

H 3

Late-

Lateranensem confluentibus concessisse, scriptum sit. Verum respondit eidem jam ipse Papebrochius, Tabulamque hanc abnormem ab omni veri specie fabulam esse evicit. Et id quidem rationibus tribus validissimis. Primam deponit a silentio Codicum pro conscribendis Brevibus Seculis VII. VIII. IX. X. usitatas formulas comprehendentium. Inveniri in Bibliotheca Vaticana ejusmodi Codices quam plurimos, ut sibi quondam scriperat Schellstratus Bibliothecæ hujus custos, in nullo tamen eorum de indulgentiis quidquam commemorari. Adducit etiam loca complura ex illo Codice, quem Joh. Garnerius sub titulo: *Liber diurnus Romanorum Pontificum A. 1680.* publicavit, in quibus necessario indulgentiarum facta fuisse mentio, si tum temporis illas Papæ dare convevissent, cum tradant Summi Pontificis ad episcopos sua ordinationis de locis sacris ac reliquiis praæcepta, horum item petitiones ac istius responsa de dedicandis Ecclesia, Oratorio, Altari, Baptisterio, vel iisdem, cum post ruinam vel incendium restaurantur. Ecquis enim crederet Episcopos tunc temporis ad promovendum tam pium opus vel etiam ad augendum concursum fidelium pro tam solenni actione indulgentias à Papa petere intermissuros aut hunc easdem iis denegaturum fuisse. Altum vero hic silentium. Alteram rationem petit e mutato & coarctato in hac tabula annorum quorum indulgentiæ promissa erant numero. Nunc. sribit in Responsi. ad Exhibitionem Seb. à. S. Paulo Part. II. art. XIV. 61. ad Tabulam Lateranensem redéo, in qua notantur Indulgentiæ, pro die dedicationis concessæ, Romanis quidem & circum adjacentibus unius anni, cetera mare non transiuntibus daorum annorum, sed his quimaria transmeare noscuntur septem annorum & septem quadragenarum. Atque hic primum notamutatos, caute quidem, sed maius fide annorum numeros quos notabat vetustior Scriptura apud Onuphrium Panvinium, qui descripsit quales reperit suo tempore i. e. ante annum 1570. quo summum de septem Basilicis opusculum edidit. Notabat enim evi superioris tabella, ut legitur p. 108. Indulgentias concessas Romanis & finitiuni annorum M. & Transpadaniis MM. Transalpinis MMM. easque omnes confirmarunt & auxerunt (ut ibidem legebatur) Alexander IV. A. 1280. & Bonifacius VII. A. 1300. quod de utroque merito negabatur, attenta Sec. XIII parcitate supra demonstrata, & excessu numeri iam enormi, ut hoc curiosiori Seculo non tantum incredibilem

credibilis visus est, sed etiam futurus scandalo, nisi minueretur, prout factum vides & factum recte adfructum publicae edificationis, sed non recte ad usum historicorum inde admonendorum, quam nihil antiquae rei credi possit ejusmodi tabula ad arbitrium editium importune sciolorum auctoris & alteratis. Ultimo autoritatem hujus tabulae destruit testimonio JUL. CÆS. RASPONI qui in Historia sua Basilicæ Lateranensis de Indulgentiis agens sub hac formula ad eam provocat: Si quid fidei antiquissimo Codici ac Tabule quam magnam appellamus, iatis aperte significans, quanti eam faciat. Unicum tantum contra fidem predictæ tabulae superaddo, hoc nempe, quod tempore Gregorii Pœnitentia ad formam canonum antiquorum adhucdum acta fuerit, & quamvis nova jam antiquis ignota pœnitentibus imponerentur opera penitentia, nemo tamecum ante expletum satisfactionis tempus communioni restituebatur; proindeque nullus tunc Indulgenciarum usus.

§. XXIV.

A Gregorio M. ad Leonem III. descendunt, qui sedem Romanam sub initium Sec. IX. tenuit. Hunc amplissimas variis in locis concessisse indulgentias e LUDGERO in Epist. de S. Siberto, quæ extat apud Surium 1. Mart. Tom. II. p. 39 post vitam S. Siberti à Marcellino descriptam, probant. Ita enim Ludgerus l.c. c. 9. Idem S. Leo Papa anno dominice incarnationis 803. cum magna solennitate suorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum & Prelatorum ac primatum ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens & ab eodem Imperatore imperialiter cum suis susceptus inter multa pietatis sue operas, instanti ejusdem Serenissimi Imperatoris & Regis Aquisgranii in palatio dedicavit Ecclesiam perpetua Virginis Mariae donans eandem Ecclesiam muleius indulgentias. — Et Colonia Agrippina tam ad S. Martinum, quam in Capitolio altaria consecravit & multa alia Monasteria & altaria ac Capellas per Alemanniam & Galliam consecravit: ubique muleias indulgentias conferendo. Tandem commemorat quomodo Leo cum Carolo Imperatore, Archiepiscopo Coloniensi & numerosissimo procerum comitatu Verdam se contulerit & Sibertum in Sanctorum catalogum retulerit, festo item hujus Neo-Sancti specialis indulgentias indulserit. Obiit idem S. Papa eidem Ecclesia specialis

ales indulgentias cunctis fidellibus celebrantibus festum S. Sviberti Episcopi & addivina consuenteibus. Ast multa praesto sunt quae Epistolam hanc Ludgeri ejusdem non esse, sed ab alio quodam Monacho Verdensi in sui monasterii commodum & gloriam, forsan ante trecentos vel quadringentos annos confictam evincunt. Nam quae autor hic de tempore itineris Leonis III. ad Carolum, de mora ipsius in Caroli comitatu ac variis itineribus cum eo susceptis commemorat non modo prater omne historicorum testimonium, verum & contra omnem historiam adducuntur. Porro comitatum Pontificis recensens vice plus simplici Cardinalibus primum attribuit locum, post eos Archiepiscopos, Episcopos & Prelatos demum commemorans. E contra ex Historia Ecclesiastica constat tempore Leonis hujus Cardinales Episcopis adhuc fuisse inferiores, imo nihil amplius quam Presbyteros & Diaconos majorum seu Episcopalium Ecclesiarum Cardinales sive principales, & nomine hoc saltet à Presbyteris minorum Ecclesiarum fuisse distinctos. Quia adhuc Sec. XI. Cardinales Presbyteri vel Sacerdotes Cardinales in Ecclesia Gallicana Curiones appellati sunt, qui Episcopis & Archidiaconis erant inferiores. Confittetur ipse NATAL. ALEX. H.E. Sec. XI & XII. cap. VII. art. 2. Tom. VI. p. 546. eos primum Sec. XI. novis radiis fulgere capisse. Conf. SPANHEM. Hist. Christ. Sec. XI. c. VI. §. 1. T. I. col. 1532. seqv. Nothescit etiam Epistolæ hujus prodit, quod autor S. Sviberti relationem in catalogum Sanctorum eo modo factam esse referat, qui demum Sec. XIII. adhiberi cepit. Canonizationis ritus cum primum in Ecclesiam introduceretur, admodum simplex erat & quemadmodum ē Petro Damiano ostendit BARONIUS ad A. C. 1027. n. 13. T. XI. col. 120. tota canonizationis solennitas unctione altaris super defuncti corpus peragebatur. Post illud tempus aucta sunt ceremonia & solennitates. S. Sviberti canonizatio autem multo majoribus solennitatibus peracta esse prohibetur. Plura adhuc adfert contra hanc Epistolam MORINUS de Poenit. Lib. X. c. 20. §. 12. p. 771. tale de ea ferens judicium: *Undique rimosa est historia ista & fabelia veritati assutis fatiscit.*

§. XXV.

Denique ad Sergium II. hic provocare solent, cuius tempore cum plurima Sanctorum corpora Romæ de coemeterio Priscillæ via salaria

falaria in Ecclesiam S. Martini transfererentur, Sergium hunc perhibent statuisse omni anno in festivitatibus eorum indulgentiam trium annorum & trium quadragesimae omnibus ad ea devote venientibus. Memoriam hujus ibidem extare afferunt in marmore vetustissimis literis incisam, quam & BARONIUS ad A. 847. n. 4. Tom. X. col. 52. & BELLARMIN. Lib. I. de indulg. c. 3. referunt. Sed nec hoc monumentum fidem facit. Undenam enim adversarii evictum dabunt tabulam hanc marmoream ad mandatum Sergii aut eo vivente erectam esse, cum nulla era adnotata cernatur. Potuit & aliis eandem erigere & ut corpora hæc Sanctorum ibidem recondita tanto majori cultu afficerentur Sergii autoritatem prætexere, vel quod perfidus esset Sergius revera tale quid præstítisse, vel ut pia quadam fraude (ut ipse loqui solent) credulos circumveniret. Nec inanem prorsus esse hanc conjecturam is nullo non negotio agnosceret, qui animo attento perpenderit quanta cum severitate Sec. IX. quo Sergius hic Pontificatum tenuit, Ecclesia impositarum poenarum penitentialium exsolutionem usurperit. Habemus & hic sincerum veritatis assertorem MORINUM dum l. c. §. 13. p. 771 ita de præsenti exemplo scribit: *Sane qui animo revolvet quanta cum severitate seculis octavo, nono, decimo & undecimo Pontifices Penitentiam Canonicae coluerint & impoferint, quorum exempla & decreta pluri- matoto libro septimo relata sunt; Qui apud se perpenderit, quod Pon- tifices nusquam legantur in probatis auroribus aut scriptis propriis tan- tillum his indulgentiis simile relaxasse, licet Romanam ipsam ad Peniten- tiae impositionem à criminum reis convenientur, non puto in animum induciturum Pontifices illis seculis Indulgentiarum tantam gratiam fe- cisse. Vix enim tantam penitentiarum canonicarum gratiam Seculo duodecimo finiente in pari causa fecissent.* Eadem indulgentias PAPEBROCHIUS quoque Respons. ad Exhibit. Seb. à S. Paulo Part. II. art. XIV. n. 8. explodit ac pluribus refutat.

§. XXVI.

Non poterant non ex introductis istis poenarum penitentia- lium commutationibus ac redempcionibus varia sequi incommoda, imo & Ecclesia & penitentibus ipsis nociva. Primum quod hic notamus est antiquæ penitentiaæ animabus per quam salutaris tacita

I ever-

eversio. Quamvis enim confitentibus criminis sua ad satisfactionem
 pœnitentia canonica imponeretur, invaderetur ac urgeretur, detrac-
 tibus eam tamen mitigabatur. Adhucdum de mitigatione illa
 ut severiore conquerentibus denuo minuebatur, donec pœnitens
 pœna levitatem verecundatus tandem in hac Sacerdotis mitigatione
 acquiesceret. Præterea cernentes pœnitentes erogando duos veltres
 denarios in hujus Ecclesiae, Pontis, viae ac similius refectionem hic
 tertiam pœnitentia partem, illic quartam, alibi integrum remitti;
 animadvertisentes item Episcoporum in iis proponendis ac conceden-
 dis liberalitatem, vix ac ne vix ad agendum canonicanam pœnitentiam
 adigi poterant, cum unicuique præsto semper esset pœna hujus vel
 in rem longe leviorum commutatio, vel facilis admodum redemptio.
Hæ relaxatio merito dici potest causa remissarum & tandem obsoleta-
rum penitentiarum. *Quis enim longissimis & durissimis pœnitentiis,*
quas libro sexto & septimo descripsimus noctu, diuque incumbere velit,
qui uno denario, aut etiam obulo juxta Episcopi mandatum erogato ter-
tiis penitentiariis canonicarum parti summa quadrante satisfacit &
triplicato denario totam summam albo expungit? *Quicquid subtiliter*
dicatur & disputetur, hoc axiomate posito, difficillime pœnitentie ca-
nonica ælio persuadebitur, cum ad se ab ea redimendum tam facile &
parabile unicuique præsto sit remedium. *Stupidissimus quinque adhanc*
Consequentiam intelligendum idoneus est. *Quis vero, que contra op-*
poni subtiliter possunt, animo capit? *Hoc paulo post demonstravit ex-*
periencia & in hunc usque diem demonstrat, ingenue confitetur soe-
pius laudatus MORINUS Lib. X. de Pœnit. c. 20. § 3. p. 768. In-
de porro fluebat veræ contritionis languefactio. *Quid opus enim*
amplius diu multumque de commissis malefactis animum excrutiare,
aut internum mentis dolorem externis signis manifestare, ubi in
promptu statim erat medela. *Sic & serie emendationi per hujus-*
modi relaxations haud parvum positum fuit obstaculum. *Pergra-*
vis ista ac diuturna pœnitentia quondam peccatoribus per canones
Ecclesiasticos imposita multos a peccandi consuetudine retrahebat.
Nimia vero hæc facilitas minuendi ac allevandi opus pœnitentiale
non poterat non frene quasi laxare. *Id quod nemo dissibet, qui*
falsum attente perspenderit quanta facilitate, quamque rapido cursu
cum semel quocunque modo porta patet, à morum severitate homi-
nus

nes deflectant. Accessit persvasio impunitatis in delictis, maxime cum crederent jam homines permutationibus istis, tanquam opere operato DEO pro peccatis satisfieri. Sic BURCHARDUS Lib. XIX. Decret. c. 56. canonem è Concilio Cabilonensi contra eos, qui ex industria peccant & propter largitionem eleemosynarum sibi im- punitatem quandam peccandi promittunt, adducit, qui ita sonat: Sed nec hoc prætereundum putavimus quod quidam ex industria peccan- tes, propter eleemosynarum largitionem quandam sibi promittunt impu- nitatem. Eleemosyna etiam extinguit peccatum, juxta illud: Ignem ardentem extinguit aqua & eleemosyna extinguit peccatum. Sed ea qua aut necessitate, aut casu, aut qualibet sunt fragilitate. Ea vero qua ex industria ad cuiuslibet libidinem explendam idcirco sunt ut ele- mosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt: quia qui hoc per- petrant, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare li- ceat. Non ergo idcirco quia peccare debet ut eleemosynam faciat: sed ideo eleemosynam facere debet quia peccavit. Mentem etiam & cor- pus que libido traxit ad culpam, afflictio & contrito debet reducere ad veniam. Quod circa eleemosynas, idem & circa peregrinationes sacras accidisse, ut nempe & iis quidam ex omnibus ordinibus, ad peccandi impunitatem abuterentur, alter canon ejusdem Concilii à BURCHARDOL. c. c. 51. annotatus docet: Nam & quibusdam qui Romam, Turonumve & alia quedam loca sub prætextu orationis in- consulte peragant plurimum erratur: Sunt Presbyteri & Diaconi, & ceteri in clero constituti, qui negligenter viventes in eo purgari se à peccatis putant & ministerio suo fungi debere, si prefata loca attingant. Sunt nihil minus laici qui putant impune se aus peccare, aut peccasse: quia haec loca oraturi frequentante. Sunt quidam potentium qui acquirendi census gratia sub prætextu Romani sive Turonici itineris multa acquirunt, multos pauperum opprimunt & quod sola cupiditatè faciunt, orationum sive sanctorum locorum visitationis causâ facere videri afferant. Sunt pauperes qui vel ideo id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi, de quorum numero sunt illi, qui cir- cumquaque vagantes illo se pergere mentiuntur: vel quia tantum sunt vecordes, ut putent se sanctorum locorum sola visione à peccatis pur- gari, non attendentes quod ait B. Hieronymus: Non Hierosolymam vi- disse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est: Verum majorem adhuc

adhuc impunitatis persuationem notabis, quodsi animum ad recentiorem illam indulgentiae speciem à missionariis Pontificis tantis cum pollicitationibus propositam contuleris. Non urgebo hic per vulgam illam historiam de Nobili isto qui Tezelium adibat indulgentiarum Bullam de peccatis in posterum committendis ab eodem petens; hac autem caro obtenta ipsum Tezelium in sylva invadet omnię pecunia, quam undiqueque corraserat, spoliabat, impune se id facere posse obemptam Bullam jactans. Majorem fidem facient Gravamina Germanicæ Nationis contra Indulgentiarum Papalium onera, in Comitiis Norinbergensibus A. 1522. Oratori Pontificis oblata. Ita autem Gravamine III. conqueruntur Germanicæ Status: illud importabile jam olim increbuit Romanarum indulgentiarum onus, quando sub persona pietatis, cum aut Basilicas Romanas confruere aut profectionem in Turcas parare polliciti sunt Romani Pontifices, omnem a simplicibus, nimiumque credulis Germanis exsuxerunt pecuniarum medullam. Et quod longe majoris est faciendum, per has imposturas ac earum conductitios precones & predicatores profigata est Germania Christianorum pietas, dum qui extrudere volebant venales suas Bullas, laudes suis mercibus occinebant miras & inauditas, condonari per emptias has condonationes nedum noxas pateritas aut futuras viventium, sed & defunctorum vita, existentium in purgatoriis (quod vocant cantores illi indulgentiarum) igne, modo numeraretur aliquid, modo inneat dextera. Atque his mercium nundinationibus simul & spoliata est ere Germania & Christi pietas extinta, quando quilibet proprii, quod in has merces expenderat, modo peccandi impunitatem sibi policebat. Hinc supra, incestus, adulteria, perjuria, homicidia, farta, rapina, fanora at tota malorum lerna semel originem sibi tra- xerunt. Quod enim malorum amplius jam horrebunt mortales, quando sibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, sed & post obitum, are, licet immodico comparari posse à nundinationibus illis indulgentiaris semel persuasum habent? maxime Germani, quibus per hos vera pietatis fucus, sub religiosa persona nihil non persuaderi difficile est? ut ingenio plane ad pietatem credulo est Germania. Item Grav VI. Si quis unde numeret habeat, jam nedum presentes indulgentur barum constitutionum transgressiones: sed & in futurum impune, ut eas ipsas transgredi liceat, indulso permittitur. Quo sit, ut anjam

ansam inde accipiant ite cum quibus ita dispensatum est, pejerandi, homicidia, adulteria & similia flagitia perpetrandi, quando quilibet ex Sacerdotum vulgo absolutionem emptitiam, virtute indulti, his imperiti potest. Lege historiam temporum Reformationem proxime antecedentium & plura hujus rei deprehendes documenta.

§. XXVII.

Sic tandem in meras nundinationes antiquæ Indulgenciarum degeneraverant. Cœperat Romanos Pontifices sacra auri fames, cumque doctrina Petri & animum & mores ejusdem, ab opibus quippe longe alienissimos Act. III, 6. successores prorsus iniqui dimiserant. Experiencia itaque satis diuturna edocti vix efficacius aut compendiosius corradienda pecunia ac thesaurum Pontificis locupletandi remedium inveniri posse, quam largam Indulgenciarum profusionem, eas Ecclesiae & commendare & obtrudere nullo non tempore, variis item sub speciebus cessarunt. Factum id initio est in solennibus istis Jubilæis quibus Pontifices Romani è thesauro satisfactionum Christi & Sanctorum pœnitentibus & nonnulla urbis Romæ tempora visitantibus plenissimas peccatorum suorum indulgentias concedebant. Autor eorum omnium consensu Bonifacius VIII. *Vir*, judicio JOH. VILLANÆI Scriptoris Pontificii apud Joh. Ern. Gerhardi Disp. de Jubilæo, multo quidem rerum usupræstans, ceterum crudelis, superbus, aurisfriens, quogentiles (i. e. Nepotes) suos opulentos relinqueret. Hic sub initium Sec. XIV. primus hanc festivitatem solennem instituit ac mediante Bulla A. MCCC. VIII. Calend. Martii Romæ indixit, quæ habetur cap. antiquorum Extravag. commun. de Pœnit. & reiniss. in qua ad Basilicas B. Petri & Pauli reverenter anno isto ac quolibet centesimo futuro, Romanis quidem ad minus triginta diebus continuis vel interpolatis & saltem semel in die: peregrinis vero aut forensibus simili modo diebus quindecim, accedentibus, vere pœnitentibus & confessis non solum plenam & largiorem, verum plenissimam suorum peccatorum indulgentiam promittit. Propositum autem sibi fuisse hoc ipso medio & suos & Ecclesiae Romanæ thesauros locupletare, dubitare nos non permittit tum ingenium ejus aurisfriens, modo è Villanæo descriptum, tum Concilii Vienensis post annos decem habitu constitutio contra quæstores elemo-

synarum simplices decipientes & aurum subtili vel fallaci potius ingenio ab iis extorquentes, quæ habetur in Clementinis Libr. V. tit. de penit. & remiss. Certe probabile non est Quæstores hosce propria autoritate suscepturos tale quid fuisse, si non praxin Ecclesie Romanæ eleemosynas pro indulgentiis recipientis, prætendere potuissent. Placuit hoc auricupium Clementi VI. adeo, ut Jubilai celebrationem ab anno centesimo ad quinquagesimum quemque reduceret, adjecta etiam prioribus Basilicis S. Petri & Pauli Lateranensi Ecclesia. Bonus & hic quidem conspicitur prætextus teste Bulla indictionis cap. Unigenitus Extravag. de penit & remiss. veram interim causam sacram auri famam fuisse is facile concedet, qui mores curiæ Romanæ tunc temporis perpenderit. Clarius id adhuc conspicitur ex actis subsequentium Pontificum, qui uti omnes auctiuij hujus particeps fieri desiderabant; ita terminum Jubilæi breviorem adhuc sivebant. Urbanus VI. enim Jubilæum ex quinquagesimo ad annum trigesimum tertium reducens, illud A MCCCXC. celebrari voluit, in eo tamen infelix, quod morte præventus messem illam largam successori suo Bonifacio IX. relinquere coactus fuerit. Quantum vero hic exinde perceperit fructum testatur THEODORICUS à NYEM, unus ex intimis Bonifacii IX. consiliariis Lib. I. de Schismat. c. 68. scribens: *Innumerabiles peregrini variis regni & provinciis, quæ erant de obedientia Urbani ad urbem venerunt & maxima offertoria Ecclesiis & Basilicis urbis data fuerunt, quorum major pars ad manus Bonifacii & quorundam aliorum devenit. Ipse vero Bonifacius bujumodi offertoriis non contentus, licet ad maximas summas ascenderent (erat enim insatiabilis vorago & in avaritia nullus ei similis) ad diversa regna misit quæstuarios, vendendo dictam indulgentiam offerentibus tantum, quantum essent expensuri in via, si propterea ivissent ad urbem. Hujusmodi exactores seu quæstuarii etiam maximas summas pecuniarum simplicibus seu barbaris subtiliter extorserunt: Ita aliquando in uno regno, seu in una provincia bujumodi venditionibus ultra centum millia florenorum reportarunt: quia omnia peccata etiam sine penitentia ipsis conscientibus relaxarunt, super quibuslibet irregularitatibus dispensarunt interventu pecunia, dicentes se omnem potestatem habere super hoc, quam Christus Petro ligandi & solvendi contulisset in terris.* Neque hoc tamen Bonifacii famam exstatiare poterat præcipue cum

major

major reddituum pars in aliorum manus pervenisset; quapropter aliud Jubilæum decennio post A. MCCCC. celebrandum publicavit. Posthac Paulus II. novam Jubilæorum periodum, videlicet viginti quinque annorum orbi Christiano obtrusit, addita Ecclesia S. Mariae Majoris. Ipse tamen terminum hunc morte præventus non attigit, sed Successori Sixto IV. A. MCCCCLXXIII, 4. Calend. Sept. celebrandum reliquit. Inde mos iste in Ecclesia Romana servatus in hodiernum usque diem, ut nempe Jubilæum anno quovis vigesimo quinto celebretur.

§. XXVIII.

Verum nec hac ratione animus Pontificum Romanorum exsatiari poterat. Hinc nundinationes istæ & extra Jubilæa crebro institutæ. Mittebant Pontifices Legatos suos per varias orbis provincias cum plenitudine potestatis concedendi plenarias indulgentias nomine Pontificis ad instar Jubilæi, qui exactis in negotiacione hac maximis pecuniaæ summis bene onusti Romam reverberabant ac quandoque ex uno regno vel provincia ultra centum millia florenorum asportabant. Ita facere consuevisse & alios, & maxime Bonifacium IX. ante commemoratum refert è Platina POLYD. VERGILIUS de Rer. Invent. Lib. VIII. c. 1. p. 526. Atque hoc patto post Gregorium veniarum seges paulatim crevit, cuius missæ non exiguum permulti interdum coll. gerant & cumprimis Bonifacius IX. cuius tempore hujusmodi venia, & quidem plena manu non concedebatur modo aliquories, verum etiam tēse Platina, velut quæpiam merces quotidie vel passim vendebatur, non absque concedentis recipientaque detrimento, quando per hac ut remedia anima morborum venalia, minus permulti à malefactis abstinebant & clavium autoritas multo vilior erat. Eundem annum gerebat Alexander VI. ceu non modo noti de eo versus:

Vendit Alexander Sacraenta, altaria, Christum;

Emerat ille prius, vendere jure potest.

Sed & factum ipsum loquitur. Habebat plurimos nothos, monente ONUPHARIO PANVINIO in vita Alexandri p. 359. quos magnis opibus & potentia extollere indulgentissimus Pater studebat quidem, hi autem maxime prodigi regio luxu liberalitatem ostentabant. Solum ergo Pontificis ararium cum iis non sufficeret, ad nundinationes istas

istas antecessoribus suis maxime proficas se non modo contulit, sed & ampliavit eas, Indulgentias in longinquis etiam provinciis ubique gentium vicatim ferme constituendo, cum hactenus illæ penes certas tantum urbis Romæ Ecclesiæ invenirentur; ita ut absentes etiam numerata pecunia, non secus acsi ipsas urbis Romæ Ecclesiæ visitassent, plenarias Jubilæi indulgentias mercari possent. Raymundum Payrandum, Cardinalem S. Mariae novæ cum indulgentiis Jubilei misit in Germaniam, Daciam, Speciam & Prissiam nostram, sub prætextu us tanta gratia participes etiam illi essent, qui superiori anno (puta M.D. Jubilæo) urbem adire vel non potuerunt vel neglexerunt, revera, ut nobiles istas provincias pecunia emungeret, scribit CHYTRÆUS in Saxonia Lib. V. Confitebatur id quondam filius ejus Cæsar Borgias. Cum enim aliquando aliquot millia in aëre lusu amisisset, dixisse fertur: quid aliud amissimus, quam peccata Germanorum? Quamvis vero impudentia quaesturæ hujus indulgentiaræ satis diu in Ecclesia fuerit grassata, ad summam tamen maturitatem circa Reformationis salutaris tempora pervenit, nec vix unquam liberalius vel brevi tempore frequentius instituta fuit, quam hoc. Ter enim in sola Germania triennii spatio vel continue vel interrupto negotiationem hanc institutam esse deprehendimus. Primo quidem cum Albertus Magdeburgensis Episcopus Archiepiscopus Moguntinus & Elector electus esset, Episcopatus vero ære alieno jam ante, puta ob antecessores geminos Archiepiscopos quadriennii spatio mortuos, quorumque quilibet pallium triginta milibus aureorum redemerat, obrutus esset. Factum id A. MDXIV. Inde A. MDXVI Maximilianus Imperator Johanni Arcimboldo Nuncio Apostolico facultatem dederat indulgentias in Misnia divulgandi. Tandem A. MDXVII. Prædecessorum exemplis excitatus Leo X. cum magnificentiam suam, teste P. SVAVIS Lib. I. Hist. Trident. p. 4. Sumptibus immodicis ac profusis in cognatos, aulicos & literarum professores, ostentans, omnes reliquos, quibus curia Romana irrogari solet, rivulos exsiccasset, consilio Laurentii Puccii Cardinalis ad fontem indulgentiarum tandem se recepit, missis per omnia orbis Christiani regna, remissionem peccatorum omnibus ac singulis accepta pecunia annunciatur, prætextu structuræ templi S. Petri Romæ sumptuosissime à Julio II. inchoata à se jam perficiendæ. Postquam itaque merces
hx

hæ in aliis provinciis A. MDXV. & in sequenti propositæ essent,
A. MDXVII. in Germaniam etiam delatae sunt, cura easum Alberto Archiepiscopo Moguntino, licitatione vero seu negotiatione Johanni Tezelio Dominicano, homini nefandissimo ac impudentissimo, quem paulo ante Imperator Maximilianus obadulterium in quo deprehensus fuerat Oeniponti sacco ad submersiō nem adjudicaverat, liberaverat autem Fridericus Dux, nunc recente creato commissario. A postolico & heretica pravitatis inquisitori commissa, quippe ad negotium hoc maxime idoneo; quandoquidem jam antea ordini militari in Livonia sub simili indulgentiarum praetextu impudentissimis suis præconiis amplissimam pecuniæ summam conqueriverat. Vix autem fidem multi hic adhiberent, adeo rem perficta prorsus fronte, omniq[ue] pudore excuso gestam fuisse, nisi testimonium irrefragabile perhiberent authentica institorum documenta supra§. IV. citata. Tantum abest ut hæc excuset, ut potius graviter ea taxet THUANUS Lib. I. Histor. Peccatum inquit, tunc in sacris munieribus dispensandis admissum Leo Panifex mox longe graviore cumulavit. Nam cum alioquin ad omnem licentiam sponte sua ferretur, Laurentii Pucii Cardinilis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, ut pecuniam ad immensos sumptus undique corrogaret, missis per omnia Christiani orbis regna diplomatis omnium delictorum expiationem ac vitam eternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisque pro peccati gravitate defenderet: in eamque rem per provincias questores & araria ordinavit, additi que precones, qui tanti beneficij magnitudinem apud populum commendarent & orationibus artificiose compoſuit, propositisque palam libellis rei effuaciam immoderate extollerent. Quod licentiose nimis à Pontificis ministris passim atque in Germania precipue fiebat, ubi qui redimendam pecuniam Rome à Pontifice conduxerant, per lustra & pinae

pinas cottidie sine pudore in alee lusum ususque turpis
 mos potestatem extrahendi animas funitorum ex igne ex-
 piatorio profundebat. Alia de Bernhardino Sanfonio
 Monacho Franciscano merces has in Helvetia exponente
 dabit JOHAN. HENR. HOTTINGERUS Hist. Eccles.
 N. T. Sec XVI. Part. 3. c. 2. §. 12. T. VII. p. 160. seqv. Ja-
 & itabat hic prodigus Bullarum acceptaque potestatis prece, quo
 cunque locorum devenerat, non culpam tantum, peccatum fu-
 turum æque ac præteritum, sed & penam remittere sibi datum
 esse: ad ipsum nummi in pelvi sonitum gratiam emptori para-
 tam esse: nec animas in purgatorio ita arcte detineri, quin indul-
 gentiarum suarum beneficio eas inde liberare posset. Utque
 tanto facilius id hominibus persuaderet, eo allaborabat, ut par-
 tim primates urbium muneribus ac gratiæ Pontificis amplissima
 promissione corrumperet: partim reliquis facile credulis sua lo-
 quacitate aut præstigiis imponeret. Hinc quondam Badæ Missa,
 ceterisque officiis pro defunctis peractis, in cœmiterium concita-
 to cursu properans alta voce exclamavit: *Ecce volant! puta animæ* è
 Purgatorii carcere per suas indulgentias liberatae. Imo abunde
 loquuntur ipse formulæ quibus mundinatores isti, maxime Te-
 zelius, suas commendare merces conveverant. Exhibet eas è
 Lutheri scriptis ac aliorum istorum temporum, ipsis verbis qui-
 bus annotatas deprehenderat, CHEMNITIUS Exam. Conc.
 Trident. Part. IV. c. 4. p. m. 143. *En cælum undique aper-*
tum jam est, si nunc non iries, quando unquam intrabis?
O insensatos & crassis cordis homines bestiis prope similes, qui
non percipitis tantam effusionem gratiarum. En tot pot-
 estis redimere animas. O duri, duri & negligentes: duo-
 decim denarius Patrem extrahere potes & tam ingratus pa-
 renti in tantis paenit non suceurris: Ego sane in extremo
 judicio excusatus sum: vos videritis. Dico tibi, si unam
 solam tunicam haberes, hanc quoque exuendam & distra-
 ben-

hendam iudico, ut tantas gratias obtineres. Sequntur
 amplificationes tanta gratia, quarum tenore docebant: Si quis
 literas indulgentiarum redimeret, ejus animam securam
 esse de salute sua. Animas autem in purgatorio existentes,
 pro quibus indulgentie redimantur, statim ubi conjectus in
 eistam nummus tinnierit ex purgatorio in cælum evolare.
 Item tantas esse illas gratias, ut nullum sit adeo magnum
 peccatum, etiam si (per impossibile) quis matrem DEI vio-
 lasset, quin per indulgentias solvi posset, hominemque per
 istas indulgentias liberum fieri ab omni pena & culpa. Es-
 se enim istas gratias donum illud DEI inestimabile, quo ho-
 mo reconcilietur DEO & omnes pœna purgatorii delcantur.
 Nec necessariam esse contritionem his, qui vel animas, vel
 confessionalia redimerent. Tam certam esse fiduciam salu-
 tis per literas veniarum, ut suam animam pro illis oppigno-
 rarent. Crucem, quam cum insignibus Pape in hac nundi-
 natione erigebant, aque efficacem esse ac ipsam Christi cru-
 cem. Conclusio denique concionum erat: Impone, impone,
 impone. Utque non verbis tantum, sed exemplo & facto
 homines excitarent, primi ad eistam in omnium conspectu
 procedebant, splendida gestu & sonoro tinnitu aliquid in
 eistam conjicientes & adstantes arridebant imponenibus,
 omittentibus indignabantur. Permittebant etiam paupe-
 ribus indulgentias istas gratis dari, sed ita, ut primum un-
 decunque pecunias corradere tentarent a bonis fautoribus.
 Et uxores docebant etiam invitis mariti quomodocunque cor-
 radere pecuniam adredimendas indulgentias. Nec diffiteri
 id possunt ipsi Pontificii Doctores. Audiamus FRANCIS. PO-
 LYGRANUM Minoritam, qui quamvis & ipse sub initium
 reformationis contra Lutherum Colonia insurgeret, in Assertionibus tamen quorundam Ecclesiæ dogmatum Colonia excu-
 sis

sis libere confitetur: *Iuste nunc turpissimus questus, facillimus atque vehementer prodigis indulgentiarum usus rejicitur, quo per annos aliquot cernimus Christianas oras depopulatas.* Adeo enim bifurebant questuarii, ut & peccata venderent, peccandi licentiam indulgerent atque fadi pellicibus donarent pro turpitudinis obsequio, quod lacryma vidua non promerabantur. Hi nulli cælum estimabant pervium, nisi suam posset onerare cruentam. Conf. quoque FRANCIS. GVICCIARDINUS historicus prudentissimus Lib. XIII. ad A. 1520. Mirum itaque non est, quod & Germani ferendis istis expilationibus, nundinationibus ac imposturis Curia Romanæ defessi ac indignabundi medelam optarent, & B. Lutherus divino Zelo concitatus se iis strenue opponeret, sicutque salutaris reformationis initium caperet.

§. XXIX.

Sed alia adhuc curia Romanæ præsto erant species largam ex indulgentiarum nundinatione colligendi messem. Non sufficiebat Pontifici negotiationem talem vel Romæ, vel ubi vis terrarum per Legatos ac Nuncios suos exercere, quin & facultatem concedent indulgentias aliis, puta certis Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, Hospitalibus, Confraternitatibus certis tamen limitationibus ac casibus quibusdam sedi Romanæ soli reservatis, vendidit, novum sic inde capiens lucrum. Exempla supra §. IV. item alterum sub finem §. V. adduximus, plura collegit HOTTINGER I. c. p. 54. seqv. Ne autem propterea, quod ubique prostarent indulgentiarum merces, Jubilæi nundinationes Romæ ullum caperent decrementum, solebant Pontifices instantibus Jubilæis venditas antea facultates usque post exactum Jubilæum suspendere quod Sixtum IV. fecisse docet Bulla ejus, qua novum instantis Jubilæum indicit, qua exstat in Extravag. Commun. deponit. & remiss. c. 4. Imo quod magis mirandum, non erubore scipiis posteriores Pontifices Indulgentiarum privilegia à præ-

prædecessoribus suis vendita iterum pro benefacito revocare
 ac irrita pronunciare, non alium ob finem, quam ut de novo,
 multoque carius redimerentur. Conqueruntur de eo Proce-
 res Germanie apud Imperatorem Maximilianum Gravam. X.
 Quod nempe *Indulgencie novæ cum revocatione ac suffensione*
 veterum ad corradendas pecunias concederentur. Verum nec
 hic acquiescebat Romanorum Pontificum habendi cupido. Pa-
 rum videbatur indulgentias vendere ad remissiones præteriorum
 peccatorum, ad futuros etiam casus ac pro peccatis imposte-
 rum committendis extenderat ac comparandæ eæ erant. Ve-
 niebant tales Indulgenciarum Bullæ proprio Confessionalium
 nomine. Quotquot his instruti erant habebant potestatem
 eligendi sibi confessorem, qui vigore Bullæ hujus gaudebat
 facultate hac in parte sibi commissa, ut vel in certis vel quibus-
 cunque casibus posset confidentem ablolvere ac plenariam in-
 indulgentiam eidem impertiri, idque vel semel in vita, vel bis in
 anno, vel toties quoties, prout nempe carius quis Bullas tales
 licituras fuerat. Bullam talem à Bonifacio IX. Henrico Lun-
 nic & uxori ejus concessam §. V. suppeditavimus. Præcipuum
 tamen aucupium fuit circa indulgentias plenarias in articulo mor-
 tis concedendas. Qyatumvis enim quis multoties in vita ple-
 narias coëmisset indulgentias, eas tamen non sufficere docebatur,
 si non statim moriretur, eo quod in novis peccatis novus etiam
 peccatorum reatus contraheretur. Ut igitur homines ab
 omni penarum purgatorii metu liberarent, novam pecularium
 indulgentiarum, quæ conferrentur in ipso mortis articulo,
 nundinationem excogitarunt, insimul vero etiam magnum pro
 redēptione pretium constituerunt. Largus fuit in iis conce-
 dendis Eugenius IV. ANTONIO teste. Vix vero novæ hæ
 indulgentiæ enatae & statim disputari cœptum de articulo mor-
 tis, præsumptus an verus intelligentus esset? Hinc multi opī-
 nabantur, si quis crederetur mox moriturus & indulgentia
 juxta indulsum ipsi tunc data esset, hic autem mortem inspe-
 rato evaderet, gratiam indulti istius exspirasse, alias proinde
 pro vero mortis articulo comparandas esse indulgentias. Ita
 enim

enim modo commemoratus Eugenius hanc super quæstione hac suppeditavit declarationem: valere illam indulgentiam demum in articulo mortis vero, quando videlicet homo vere mortem oppeteret, animamque suam expriraret. Porro cum ad valorem indulti ejusmodi requiratur, ut forma ejusdem super moribundum recitaretur; contingere autem poterat, ut insperata ac repentina mors Sacerdotem aut Clericum accertere non permetteret, denuo magno redimendum erat, ut valeret etiamsi Laicus eandem pronunciaret. Addita etiam quandoque cernebatur in Bullis istis quædam peccatorum, quorum indulgentia concedebatur, exceptio v. g. *Concedo tibi plenariam indulgentiam omnium peccatorum, præter ea, quæ ex confidenzia hujus indulti commissi:* aut prout in Bulla Bonifacii IX. modo è §. V. citata, legitur: *Et ne quid abfir propter hujusmodi gratiam reddamini procliviiores ad illicita in posterum committenda, volumus, quodsi ex confidenzia remissionis hujusmodi aliqua forse committerentur, illa prædicta remissio vobis nullatenus suffragetur;* Ut itaque ea omittetur vel addita expungetur, nova redemptione opus erat. Denique & de eo disputatum, an tali, cui in articulo mortis plenaria indulgentia facta, opus esset exequiis & suffragiis pro defunctis. Ne igitur propter illas indulgentias Sacerdotum curantium exequias culinæ algerent, illis etiam indulgentiæ varias addidere restrictiones, de peccatis oblitis, cum Bulla de peccatis contritis & confessis loquatur: item de peccatis venialibus, ad quæ contritus se non extendit. In summa quis subtilest istos per indulgentiarum Bullas corradendi pecuniam modos omnes enodabit.




AB: 154071



82

KD 28

Vd 17



B.I.G.

Farbkarte #13



DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA
SECUNDA
DE
**BULLARUM
INDULGENTIARUM
PONTIFICIARUM
ANTIQUITATE FUCATA,**
QUAM
DIVINA INDULGENTE GRATIA,
VENERANDÆ FACULTATIS
THEOLOGICÆ CONSENSU,
IN REGIA PRUSSORUM ACADEMIA
PUBLICÆ VENTILANDAM PROPONUNT
PRÆSES
JOHANNES BEHM,
S. THEOL. DOCT. ET PROFES. EXTRAORD.
GRÆC. LING. ORDIN.
ET RESPONDENS
JOHANNES GODOFREDUS DORN
SCHIPPENB. BOR. PHIL. ET THEOL. STUD.
IN AUDITORIO MAXIMO
A. MDCCXIII. DIE IX JULII.

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.

